

EXAMEN
COMMUNIS DOCTRINAE

DE

1800
20
1

DELICTIS EXCEPTIS.

DISSERTATIO JURIDICA,

QUAM

PRAE S I D E

V I R O

GRAVISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE
CLARISSIMO

D. HENR. JO. OTTONE KOENIG,

PROF. JUR. ORDINAR. ET FACULT. JURID.
ASSESSORE,

S T I P E N D I I C A U S S A

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

HENR. FRID. FERD. HAMPE,
PALAEO - BRANDENBURGENSIS.

DIE VIII. CALEND. APRIL MDCCC.

H A L A E,

T Y P I S O R P H A N O T R O P H E I.

DICHTA EXCIPIT

DI
que
ac e
entia
ferti
comm
in h
adhu
de d
juris
dustr
minia
fende
pauc
vero
cum
sim c
siones
quid
taxat
quide
pro v
nare,

INSTITUTI RATIO.

Et si jurisprudentia criminalis hoc potissimum saeculo atque novissimis in primis temporibus virorum ingenio pariter ac eruditione insignium opera, hancce in partem juris scientiae consumpta, eximie florere cooperit et meliori praesertim cultu philosophiae etiam huic disciplinae recte accommodatae magna ceperit incrementa, multa tamen et in hac parte jurisprudentiae reperiuntur, nequaquam satis adhuc explicata. Quorum in numerum quoque doctrina de delictis exceptis referri meretur, quam plurimos quidem juris interpres leviter, paucissimos vero studio arque industria tractasse constat. Liceat igitur mihi, quem speciminis academici causa scribere quaedam eaque publice defendere oportet, de doctrina laudata hisce in tabulis pauca proferre, haecque prolata pro viribus tueri. Cum vero ego qui neque aetate neque ingenio neque auctoritate cum iis, qui in materia hac excolenda jam elaborarunt, sum comparandus, in varias omnium doctorum reprehensiones merito incurserem, si non nisi novi et inauditi quid in publicum promendi ducerer cupiditate; ipsum dantaxat doctrinam communem de delictis exceptis, qualis quidem in omnibus fere juris criminalis compendiis existat, pro viribus confirmatae aeratis exiguae ingenii, examinare, et quae a me in dubium vocantur, libertate haud

circumscripta, proferre sufficiat. Gaudio atque laetitia triumpharem, si specimen hoc industrie meae, in studium jurisprudentiae hucusque impensae, tenue atque exile, virorum doctissimorum et clarissimorum, qui beneficium illud munificentissimum, cuius causa huncce libellum edere institui, liberalitate ac benignitate mirabili in me contulerunt, minimam tantum sibi pareret laudem. Nam si quid est in me ingenii, quod sentio, quam sit exiguum, aut si qua exercitatio scribendi, aut si hujusc rei ratio aliqua, a juris scientiae studiis ac disciplina profecta, earum rerum omnium vel in primis hi viri praeclarissimi, omniisque laude dignissimi, fructum jure maximo a me repeterem debent. Quorum virorum a me ad obitum usque reverentia justissima colendorum aequitate et in me indulgentia fretus, nunc ad ipsam rei explanationem progredior. Quae vero facilius ut fieri atque intelligi possit, ipsum examen doctrinae communis de delictis exceptis in duas sectiones dividere liceat, in quarum priori communem de hisce delictis doctrinam, qualis in theoria juris criminalis proponitur, explicabo, in posteriori autem ad ipsum ejus examen tam ex jure universalis quam e legibus positivis Germaniae huiusmodi descendam. Quod autem, ad hoc ipsum examen attinet, primo de vero sensu delicti excepti tunc de quaestione: an sint possibilia, et denique de hujus distinctionis utilitate loquar. Ut autem verus delictorum exceptorum sensus clarius perspiciat, hoc loco non definitioni solum delicti excepti, constituedae, studebo, sed etiam species eorum delictorum et elegantiora exempla enumerabo, quibus denique hisce delictis affinia adjungam.

S E C

S E C T I O I.

COMMUNIS DOCTRINA DE DELICTIS EXCEPTIS.

§. 1.

Communis doctrina de delictis exceptis haec fere est: in parte generali jurisprudentiae criminalis divisio delictorum in excepta et non excepta traditur, et in parte speciali de singulis delictorum exceptorum speciebus data occasione agitur.

§. 2.

Inter varias nempe, quas juris criminalis interpretes proferunt, delictorum divisiones, partim utiles, partim inutilles, v. g. in delicta commissionis et omissionis, partim veras partim falsas, v. g. in delicta voluntaria et non voluntaria, nec non in delicta consummata, attentata et inchoata, et male quidem ordinatas, si. v. g. divisiones delictorum juris romani et juris germanici, nec non juris communis et juris particularis, non rite distinguantur, etiam haec occurrit divisio, in delicta scil. excepta et non excepta.

§. 3.

Hanc delictorum divisionem doctores juris criminalis autem ita explicant. Audiamus primo loco Kochium, recentiorum juris crim. interpretum quasi coryphaeum, qui hac de re in institutionibus juris criminalis, §. 33 et 34. hoc modo differit:

Delictum dicitur esse exceptum, vel non exceptum, prout in eo cognoscendo et puniendo, judicem non oportet servare legis criminalis dispositionem, aut

A 3 opor-

oportet. Delicta excepta, quae olim ob rationes politicas non raro fingeabantur, non sunt statuenda, sine expressa legis dispositione, aut evidente reipublicae salute. Quae in versione germanica ita redditia sunt: ein Verbrechen ist entweder ein ausgenommenes oder nicht ausgenommene Verbrechen, je nachdem der Richter bey Untersuchung und Bestrafung derselben an die Vorschriften des peinlichen Gesetzes entweder nicht gebunden ist, oder dieselben beobachten muss. Die ausgenommenen Verbrechen, welche ehemals aus politischen Gründen nicht selten erdichtet wurden, sind ohne die ausdrückliche Verordnung der Gesetze, oder ohne das offensche Wohl des Staats nicht anzunehmen.

In nota subjecta Auctor illustrationis gratia provocat ad Augustini de Leyser, Spec. 563. quo perduelles indicta causa puniri posse ostenditur, tanquam elegans hujus rei exemplum.

Idem fere docet Nobilis de Quistorp in Grundsätzen des deutschen peinlichen Rechts, parte I, §. 31, ubi ita legitur:

Bey Bestrafung der Verbrechen, der Verfahrungsart, der Verbindlichkeit zum Anzeigen der Verjährung oder der Gerichtsbarkeit, sind entweder die gewöhnlichen Vorschriften des peinlichen Rechts in Anwendung zu bringen, oder nicht. Die Verbrechen der letztern Art nennt man delicta excepta, und die der erstern non excepta. Bey dem Mangel ausdrücklicher gesetzlicher Vorschriften, oder besonderer Landesgesetze, und wenn die Erhaltung des gemeinen

Wohls

Wohls nicht eine Ausnahme machen sollte, sind keine sogenannte delicta excepta an zu nehmen.

Georg Jac. Frid. Meister, Vir Clarissimus, in principiis juris crim. communis. ed. 3. Gött. 1798. octav.
§. 34. hanc rem ita exponit:

Criminum in excepta et non excepta divisio, prout ea olim contra rectam rationem et leges invaluit, quasi scilicet, in atrocissimis delictis, neglecto juris ordine, judex procedere possit, inter errores dudum profligatos referenda est. Possunt tamen ea delicta excepta quodammodo dici, in quibus cognoscendis et puniendis, iura singulare per leges speciatim constituta sunt.

Lud. G. Madihn in syst. jur. crim. (Trajecti an Viadrum) §. 25. de hac divisione ita habet:

Delictum quoque in exceptum et non except, a quibusdam dividitur, prout judex quoad punitionem criminum, quoad jurisdictionem et inquisitionem, regulam legibus praescriptam observare non teneatur, aut servare debeat. Meliora docet Perillustris E. F. Klein, insigne hujus academie ornamentum atque decus, in Grundsätzen des gem. deut. peinl. Rechts. Ed. 2. Halle 1799 oct. §. 67.

„Man pflegt auch die Verbrechen in ausgenommene und gemeine Verbrechen (crimina excepta vel non excepta) einzuteilen. Man versteht unter den ersten diejen., welche nicht nach den Regeln, die bey der Untersuchung und Bestrafung überhaupt beobachtet werden müssen, behandelt werden. Dahin rechnet man diejen., an deren Entdeckung und Bestrafung dem gemeinen Wesen vorzüglich gelegen

„ist, und man glaubt, daß man eben deswegen,
 „dem Angeklagten weniger Gelegenheit, sich der
 „Strafe zu entziehen, einräumen müsse. Allein da
 „diese Art von Verbrechen, z. B. der Hochverrath
 „zugleich auch eine vorzüglich harte Strafe nach sich
 „zieht, so würde es ungerecht seyn, dem Ange-
 „klagten diejen. Vertheidigungs-Mittel zu nehmen,
 „welche ihm zur Vermeidung einer unweit gerin-
 „gern Strafe würden verstatteet werden; überflüssige
 „und zweckwidrige Förmlichkeit aber sind in kei-
 „nem Falle zu dulden.“

Quae in suis primis juris crim. principiis, §. 67. latine ita
 tradit:

Crimina dividuntur in excepta vel non. Ad priora
 ea referuntur, quae ratione judicii, vel poenae patiuntur
 exceptionem a regulis, quae in reliquis delictis observari
 debent.

Et omnes hi doctores in parte speciali tractationis
 juris crim. ea monent quae hanc generalem delictorum di-
 visionem spectant, v. g. in doctrina de delictorum praes-
 criptione, de blasphemia, de crimine perduellionis, lae-
 fae maiestatis etc.

S E C-

SECTIO II.

EXAMEN DOCTRINAE COMMUNIS DE DELICTIS EXCEPTIS.

§. 4.

VERUS DELICTORUM EXCEPTORUM SENSUS.

Delicta excepta in sensu proprio sumta in genere nihil aliud sunt quam eiusmodi delicta, quorum intuitu in ipsis legibus exceptio a regula facta est, sive singulare quid, id est, quod a regula recedit, statutum esse legimus. Quibus delicta non excepta opponuntur, quae ita compara- rata non sunt, sive ubi regula juris obtinet. Ad delictum exceptum itaque requiritur:

- a) Delictum,
- b) cuius intuitu in ipsis legibus exceptio constituta, atque singulare quid sanctum est.

Quod si unum horum requisitorum tollas, delictum exceptum non adesse intelliges. Nam si non adest delictum, nec de delicto excepto sermo esse potest.

Delictum autem in sensu proprio, quo in libris juris nostri criminalis accipitur, (bürgerliches oder eigentliches Verbrechen) est actio subditi libera (quae si commissa est, factum proprie dici meretur) legi poenali contraria. Nam ad delicti notionem in hoc sensu requiritur:

i) Lex poenalis, i. e. lex civilis quae factum aliquod sub poena prohibet aut praecipit. Perinde quidem est, utrum lex poenalis scripta sit, an moribns, quae vim legis, habent, introducta; an poenae speciem an vero poenam in

genere

genere tantum statuat, scilicet, daß es ernstlich gestraft werden solle, aut, bey Vermeidung ausdrücklicher Strafe.

Tunc enim poena arbitrio judicis commissa est. Sed sine omni sanctione poenali delictum non intelligitur. Ex eo simul patet, neminem nisi subditum reipublicae delinquere posse. Quodsi itaque queritur: quis delinquere possit, respondendum est: omnes reipublicae subditi, quatenus libere agere, siveque contra leges poenales peccare possunt. Id quod plerique DD. in capite: De his qui delinquere possunt, negligere solent.

2) Actio libera legi poenali contraria. Libera ideo esse debet, quia alias imputatio locum non habet; quod vero actio externa esse debeat, per se patet, quia leges civiles solis actionibus externis normam praescribunt. Hinc recte dicitur, per solam cogitationem animumque delinquendi, sine ullo facto externo, crimen non admitti. Sine lege poenali denique crimen, ut jam antea monitum est, statui nequit. Ita vero delictum ab omnibus aliis illiticarum actionum generibus, veluti peccato, vicioque discernitur.

Ceterum eae actiones, quae tum securitati, tum saluti publicae, adversantur, in delictorum numerum a superiori rei publicae referri posse, generatim quidem constat; sed specialis delictorum determinatio in qualibet republica, ad prudentiam legislatoriam, a jurisprudentia longe diversam, potissimum pertinet. Ex quo fit, delicta secundum rerumpublicarum diversitatem posse variare. Ita constat, expositionem infantum jure romano antiquo ad genera lici-

licitorum pertinuisse, item furtum alicubi virtutibus artibusque adscriptum fuisse, apud Lacones narratur, quae tamen sine dubio in censum criminum hodie referuntur. —

Natura delictorum exceptorum propria autem est haec: nempe intuitu certorum delictorum in ipsis legibus exceptionem factam esse, siveque leges speciales seu singulares in hoc sensu suntas adesse. Leges enim criminales i. e. quae de delictis eorumque poenis disponunt, sunt uti leges civiles in genere, vel generales vel speciales, prout regulam exceptionem continent a). Jam si leges speciales adsunt criminales, ejusmodi delicta, quorum intuitu exceptio facta est, excepta vocari solent. Sic v. c. pone: legibus cautum esse, delicta in' regula praescriptioni esse obnoxia, sed quedam delicta ab hac regula esse excepta, habes delicta excepta. Item fac, delicta quadam a jurisdictione ordinaria judicis criminalis esse exenta et aliam habes speciem delictorum exceptorum. Ex quo sequitur, sine speciali legis dispositione, delicta excepta statui non posse. Id, quod bene notandum est, ne delicta excepta singas, quae vel plane non sunt delicta, vel saltem delicta excepta dici nequeant. Ita nudum factum legi poenali contrarium, quod tamen propter deficientem imputationem puniri nequit, v. c. furtum in extrema necessitate commissum, vel homicidium, in moderamine inculpatae tutelae patrum, delictum exceptum dici non potest, quia notio cessat delicti. Porro delicta excepta non sunt, in quibus regula juris observatur. Sic, si regula est, quod delicta in quadam republica praescriptione non extinguantur,

a) Vid. Westphal in Institut. iur. nat. §. 1104.

tur, exceptio foret, si quaedam delicta ab hac regula essent excepta b).

Quae si adplices ad Germaniam et ad delicta, de quibus in jurisprudentia Germanorum agitur, facile perspicies, quid delicta excepta sint in Germania. Sunt nempe nihil aliud quam ejusmodi delicta, quorum intuitu, in ipsis Germanorum legibus, exceptio statuta est. Requiritur ergo ad delictorum in Germania exceptorum notationem:

- a) adesse delictum
- b) in legibus nostris exceptionem a regula juris ordinarii factam esse.

§. 5.

Delicta excepta varii generis esse possunt. In universum toties adeat delictum exceptum, quoties exceptio in ipsis legibus criminalibus statuta legitur. Sub hoc principio generali, omnia delicta excepta esse comprehensa, ex ipsa eorum definitione consequitur. Si vero naturam delictorum exceptorum in se consideres, non nisi duplices generis delicta excepta statui posse, invenies. Quemadmodum enim jurisprudentia criminalis, tota quanta est, in cognoscendis aut puniendis delictis versatur, ita etiam omnia delicta excepta ad duo haec summa genera reduci possunt. Nempe aut poenam aut cognitionem delictorum concernunt. Leges enim criminales inter alias divisiones hanc etiam admittunt, quod sint vel leges criminariae.

b) *Vid. Hallacher de praescript. crimin. juncis cogitatis nonnullis, de abrogatione ejus suadenda. Erlang. 1787. quart.*

minales in specie, vel judiciales, prout vel poenam vel cognitionem delictorum concernunt c).

Quae si adplices ad leges criminales speciales, ex quibus notio delictorum exceptorum descendit, etiam inter leges criminales singulares in specie et judiciales distinguere licet. Sic verbi causa exemplum primum § antec. propositum, delicti ratione poenae excepti, alterum vero delicti excepti ratione cognitionis sicut exemplum. Nam per praescriptionem poena delicti extinguitur. Si autem delicta a judicis cognitione ordinarii excepta sunt, alias generis delictum exemptum esse, intelliges. Delicta excepta tertii generis non dantur, licet negandum non sit, quod dari possint delicta, tam ratione poenae, quam intuitu cognitionis excepta. Cujus rei exemplum praebet crimen laesae majestatis secundum jus romanum, L. un. C. Si quis imperatori maledixerit. Deinde autem delicta excepta quoque secundum diversas leges positivas criminales possunt considerari, in quibus exceptio facta est. Ex hoc fundamento delicta excepta pro diversitate differunt rerum publicarum, earumque legum criminalium. Sic v. g. delicta excepta juris romani, germanici etc. dantur. Si ad Germaniam respicias, delicta excepta pro constitutionis reipublicae nostrae indeole differunt, quod sit res publica composita, indeque distinctio oritur inter delicta excepta ex iure communī, quo in Germania utimur, et ex iure particulari, quod in singulis Germaniae provinciis obtinet; sive que crima excepta juris communis et particularis in Germania

c) Vid. Stelzer Lehrbuch des deutsc. Crimin. Rechts. Halle 192. §. 14.
qui hanc legum criminalium divisionem primus docuit.

mania discernere oportet. Haec denique iterum pro di-versitate Germaniae provinciarum differunt et legum criminalium, quae a republica, cui propriae sunt, peculiare nomen accipiunt. Sic dantur delicta excepta secundum jus Borussico - Brandenburgicum, Saxonum, Brunsvicu - Lubneburgicum etc.

§. 6.

EXEMPLA DELICTORUM EXCEPTORUM.

Multa in libris juris criminalis notata inveniuntur delicta excepta, quae autem partim vera, partim spuria sunt. Praecipua vero haec sunt:

I. Qui crimen alterius non impedit, quod tamen impedire potuisset, hoc solo delicti alterius particeps non sit, siveque non delinquit, ob defectum ejusmodi obligationis penalisi, et arg. art. 177. C. C. C. Quae tamen regula hanc admittit exceptionem, nempe si specialis adest obligatio, aliorum delicta impediendi, quae in qualitate criminis securitati publicae eximie noxiis nititur. In hoc casu posteriori adsunt delicta excepta; quo pertinent:

- a) crimen perduellionis, l. 5. C. ad leg. Iul. maj.
- b) parricidii, l. 2 et 6. D. ad leg. Pomp. de parric.
- c) falsae monetae, l. 9. §. 1. D. ad leg. Cornel. de falsis,

ad quae delicta impedienda omnes subditi sub pena tenentur.

Idem ex analogia juris et subditi obligatione de aliis quoque gravissimis delictis recte contenditur.

Porro sola omissa criminis alieni denunciatio nec con-cussum, nec aliud delictum continet, tit. Cod. ut nemo ini-
vitus

vitus agere vel accusare cogatur et arg. C. C. C.) exceptis modo criminibus:

a) perduellionis, L. 5. §. 6. Cod. ad Leg. Iul. maj. Reformatio politiae d. a. 1548. tit. 1. §. IV, et d. a. 1577. tit. 1. §. 2. 4. §.

b) blasphemiae,

c) et falsae monetae, L. 1. Prince. Cod. de fals. monet. et Reichs-Münzordnung v. J. 1559. §. 164.

quae itaque delicta ratione obligationis ad denunciandum in numerum exceptorum referenda sunt d).

II.

d) *Vid. Meister princ. jur. crim. Germ. §. 42 et 43. Brehm de delictis exceptis cap. 2. qui hoc in specie secundum jus criminalis Saxonum late exposuit.*

Eadem obligatio ad denunciandum supra exposta perduellionis ratione et nostri territorii civibus sub poena injuria est, de qua Leges Borussico-Brandenburgicae fere ita disponunt:

Wer dieser Verbindlichkeit nicht nachkommt, soll nach Beschaffenheit des Verbrechens zu zehnjähriger oder lebenswieriger Festungsstrafe verurtheilt werden. Selbst die Eltern, Kinder und der Gatte des Verbrechers, soll davon nicht ausgenommen seyn. Neues Land-Recht P. II. T. XX. §. 97 und 98., quod etiam l. c. §. 101 et 104. patria proditorem primam classis, qui nempe provincias, exercitusve, vel loca reipublica munita, hostibus tradere molitur, perduelli equiparat. Obligatio contra, quoad delictum blasphemiae denunciandum, jure communi statuta, apud nos novissime in desuetudinem abiit. In genere idem obligationem indicet ad plures causas extendit, de quibus l. c. §. 80, haec verba sunt:

Ver-

II. Aliud exemplum delictorum exceptorum praebent delicta ratione fori criminalis excepta. Forum criminale, uti constat, vel commune est vel privilegium; hoc autem fundatur in iure singulari vel personarum, vel loci vel causarum. In ultimo casu habes delicta excepta, quorum cognitio solum principis est. Huc pertinet:

a) crimen laesae maiestatis. L. un. Cod. si quis imp. etc.

b) delicta in via publica, ut et in fluminibus publicis commissa. Ut enim princeps fons omnis jurisdictionis est, et magistratus constituit, qui sua vice jurisdictionem exercent, ita quoque designat, quanta et quae cuiusvis magistratus jurisdictione esse debent, adeoque suae jurisdictioni quasdam causas criminales vindicare potest.

Viae enim publicae et flumina publica, publici juris, adeoque sub singulari inspectione et directione ipsius principis sunt. Hinc jurisdictione in hisce locis non competit sub nomine jurisdictionis universalis, nisi diserte litteris clientelaribus seu privilegiis aliud cautum sit. Obiter moneo, quod et in fortalitiis jurisdictionem praefectus militaris, qui fortalito praest (der Commandeur oder Gou-

ver-

Verbrechen, welche die Sicherheit des Staats, Leben, Gesundheit, Ehre oder Vermögen eines Menschen, einer erheblichen Gefahr aussetzen, sollen von Jedem, dem sie vor ihrer Ausführung bekannt werden, bey Strafe, entweder der Obrigkeit, oder dem, gegen welchen das Verbrechen gerichtet ist, angezeigt werden.
Conf. Klein, I. c. §. 141. No. 9. —

verneur) de iis criminibus exerceat, quae committuntur zwischen den Werken e).

III. Index in delicta commissa ex officio inquirere debet, si fundamentum legitimum adest, art. 6. C. C. C. Sed dantur delicta ab hac regula excepta, seu talia, in quae ex officio non inquirendum est, unde nova delictorum exceptorum species oritur. Huc pertinent:

a) furtum inter conjuges, et a proximioribus heredibus admissum, art. 165. C. C. C. f).

b) in-

e) Vid. Boehmer elem. jur. crim. §. 73. et Brehm, I. c. Cap. I. ac in primis de Winkler corollarium jur. crim. Lipsiae. 1786. §. 19 et 20, ubi data industria de jurisdictione criminali in via regia, tam in genere, quam in specie quoad electoratum Saxoniae exposuit.

E codicis nostri novissimi dispositione intuitu criminis laeche manifestatis, haec fere colliguntur, (I. c. §. 201.): alle Straferkennisse über ein Verbrechen der beleidigten Majestät sollen dem Landesherrn vorgelegt, und ihm anheim gestellt werden, in wie fern er dabey sein Begnadigungsrecht ausüben wolle.

De delictis in viis publicis commisis nostrae quidem leges fori intuitu specialia non statuunt; cum tamen in ipsis. P. II. Tit. XV. §. 2. haec verba legantur: ohne besondere Erlaubniß des Staats darf sich niemand eine Verfügung über Land- und Heer-Straßen anmaßen; ex juris analogia proficiuntur, juris communis principia apud nos valore suo substituta non esse.

f) Vid. Boehmer Mediat. in C. C. C. art. 165. pag. 794. Contrarium quidem affirmat Lynker, Dec. CCXXXI. sed futile et salebrofa ejusdem sunt argumenta. Pet. Müller et Celeb. Ayer in dissert.

b) injuriae verbales.

De adulterio secundum jus commune certatur. Sed bene monuit Meister, l. c. §. 277., judicis quidem esse, etiam ex officio; sed cautius tamen nec indistincte adulteria vindicare g).

IV.

domestico de furto conscriptis, hujus C. C. C. art. sanctionem ad furtum quoque domesticum extendere voluerunt. Cum tamen jus romanum ab ipsis laudatum quoad furtum hodiernum valore suo plane defitutum sit, in C. C. C. vero nullum vestigium proset, ex quo subveniri queat domesticis, haec furti species a regula juris communis non separanda est.

g) Boehmer in elem. jur. crim. §. 90. recte hanc sententiam defendit ex jurisprudentiae criminalis hodiernae principiis. Quamquam enim soli conjuges ex causa adulterii accusare possunt matrimonium, id samem tantum obtinet, ubi de causa divorci quæstio est. Aliud vero dicendum, ubi quæstio de poena publica criminis adulterii oritur. — Vid. etiam Brehm, l. c. et quæ ibi monuit Klüber.

Nostra leges de hoc genere delictorum exceptorum haec fere disponunt: Entwendungen unter Eltern und Kindern, unter Ehegatten oder Geschwistern, so wie unter Anverwandten, die sich in einer gemeinschaftlichen Haushwirtschaft befinden, wie auch Diebstahl von Pflegebefohlenen und Zöglingen an ihren Vormündern, Pflegevögtern und anderen Erziehern oder anderen Hausgenossen, und kleine Hausschäden des Gefades und deren Hausgenossen an ihren Dienstherren oder dessen Hausgenossen, ist der Richter von Amtswegen zu untersuchen und zu bestrafen nicht schuldig, vid. N. L. R. Th. II. Tit. XX, §. 1133 - 1135 et 1137.

Leichte

IV. Denique notissimum est juris crim. principium, sanae rationi conforme, neminem nisi delicti reum, posse puniri, seu ut imperatores in Lege 22 eod. de poenis fanciunt: ibi esse poenam, ubi et noxia est. Propinquos, notos, familiares procul a calunnia summovebimus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim adfinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant auctores: nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. Sed ab hac regula exceptum esse legimus crimen perduellionis, l. 5, C. ad leg. Jul. Maj. ubi poena ipsius ad liberos extensa est, quam legem non modo Gratianus in Decreto c. 6. qu. l. a. 22. reperit, et Bonifacius VIII. in c. Felicis de poen. in 6. ad Cardinales

B 2

pro-

Leichte Verbal- und symbolische Injurien soll der Richter von Antragswegen zu rügen nicht schuldig seyn. Schwere Injurien dieser Art sollen von Antragswegen nur in dem Fall geringt und bestrafft werden, wenn sie an einem öffentlichen Orte, oder bey einer feierlichen Gelegenheit vorgefallen. Eben dies gilt von geringen Real-Injurien unter Leuten vom Bauer- und gemeinen Bürger-Stande, wie auch von geringen Real-Injurien zwischen Eheleuten, Eltern und Kindern, Lehrern und Schülern, Dienst-Herrschäften und Gefinde. N. L. R. I. c. §. 649 - 652. Furtu contra inter proximiores heredes admissa leges nostrae ab inquisitione judicis officiosa non eximunt.

Inquisitio criminis adulterii ex officio instituta in nostra civitate jam secundaria declaratoria, de die Lunij 9. o. 1766, et vi re-scripti de die mensis ejusdem 27. o. 1766. (vid. nov. Corp. Constit. Vol. IV. Col. 53. 511.) prohibita est. —

Vid. et. Klein. I. c. §. 384.

protulit; sed etiam in Constitutione Imperatoris Caroli IV. quae Aurea Bulla vocatur, c. 24, et in Caroli V. Constitutione Crim. art. 124. repetitam legimus. Sed crimen perduellionis plura adhuc habet singularia, veluti:

- a) quod poena ordinaria puniatur, et si duntaxat attenuata sit.
- b) quod perduellis, qui jam mortuus est, adhuc accusari possit.
- c) quod omnes admittantur ad accusandum et denique
- d) quod executio poenae in effigie peragi solet; l. 6, 7. et 8. C. ad leg. Iul. Maj. h).

§. 7.

h) *Vid. de hac re in genere: Gundling singularia ad legem majest. Halae, 1721. 4. et Frankof. et Lips. 1737. 4. — Joh. van Beuker de crim. Maj. in Oelrich thesauro novo Diss. Selectar. Vol. II. Tit. I. pag. 170. et Nobil. de Quistorp. Grundzäsuren peinlichen Rechts §. 153 seqq.*

In nostris legibus intituta poenae criminis perduellionis ad alios, praesertim delinquentem, extensio, haec sunt statuta: Hochverräther tragen auch die Schuld des Unglücks ihrer Kinder, wenn der Staat, zur Abwendung künftiger Gefahren, dieselben in beständiger Gefangenschaft zu behalten, oder zu verbannen nöthig finden sollte. N. L. R. P. II. Tit. XX. §. 95.

Vid. etiam Klein l. saepius c. §. 506.

Ex specialibus civitatis legibus ea quoque delicta, quae a præscriptione excepta sunt, peculiare genus delictorum exceptorum constitutiva possunt. Secundum jus vero commune Germaniae nec ullum delictum a præscriptione eximitur (vid. Engan von der Verjährung in peinlichen Fällen. §. 27 seqq.), cuius principia etiam

§. 7.

Atque haec sunt exempla vera delictorum exceptorum. Inveniuntur autem apud D. D. juris criminalis delicta excepta, quae nomen hoc non merentur, sive spuria nuncupanda sunt. Huc pertinet in primis homicidium dolosum, quod in eo exceptum esse putant; quia princeps poenam capitalem haud remittere possit; sed haec sententia apertissime falsa est, quod jam dudum docuerunt Thomasius et aliiⁱ⁾.

§. 8.

Delicta excepta in sensu supra exposito sumta differunt ab aliis delictis, quae alio in sensu delicta excepta dici solent; in primis ab iis, quorum intuitu singulare quid in casu obveniente statuitur. Hoc varium esse potest, si nempe in casu singulari exceptio a regula legis statuitur. Quod enim sit, vel intuitu delicti committendi, vel jamjam commissi. Fieri enim potest, actionem, quae alias in delictorum numero esset, subdito permitti, quod commode dispensatio a lege poenali dici

B 3 potest,

etiam hoc respectu apud nos valore non sunt destituta. (vid. Re-
script des Justizdepartements auf die Anfrage der neumärkischen
Regierung: sind die Vorschriften des gemeinen Rechts, wegen
Verjährung der Verbrechen, durch das allgem. Land-Recht, wel-
ches darüber schweigt, aufgehoben, oder nicht? in Stengels
und Eisenbergs Beyträgen zur Kenntniß der Justizverfassung und
Jurist. Literatur in den Preuss. Straten, P. 6. pag. 158.)

i) Vid. Nobil. de Quijlorp, I c. §. 236.

Huc etiam pertinet haeresis et sodomia, quibus antem plura dicere non attinet.

potest. Sic. v. c. si matrimonii iureundi licentia iis datur, quibus sub lege prohibitum est, aut si princeps duellum, quod subditu iniire volunt, expresse vel tacite permitit, etc. in omnibus hisce casibus adest dispensatio a lege poenali. Intuitu vero delicti jam commissi exceptio dupliciter statui potest, partim ratione poenae, partim ratione cognitionis. Huc referendum est, si princeps cognitionem delicti commissi alicui extra ordinem committit, sive commissionem criminalem constituit ^{k)}. Id, quod fieri solet in delictis ratione fori exceptis. Quoad poenam autem singulare, quod statuitur, varium esse potest. In genere durius quid vel mitius esse potest statutum. Si posterius, adgratatio in sensu latiori vocatur; si prius, nempe si princeps poenam ea, quae alioquin per leges statuta est, graviorem decernit, privilegium adest poenale, ut vocant. Adgratiationis vero variae sunt species:

- a) abolio est rei liberatio a persecutione criminali instituta vel instituenda,
- b) adgratatio in sensu stricto est remissio poenae jam decretae; sed nondum executioni datae, et prout vel omnem poenam tollit, vel tantum miorem graviori surrogat, aut plena, aut minus plena, seu mitigatio ex gratia dicitur,
- c) restitutio in integrum est remissio poenae executioni jam datae, et aliquamdiu jam toleratae, ad tempus reliquum.

Prae-

^{k)} Vid. C. Fr. Georg. Meister Einleitung zur peinlichen Rechtsgelhrsamkeit, Hauptfi. VII, von den peinlichen Commissarien und abgeordneten Richtern.

Praeterea adgratatio vario modo exerceri solet, velati decimatione seu sortitione et concessione asyli. Decimatio nempe est adgratatio inter plures delicti complices alicui facta, ita tamen, ut cui illa inter plures contingere debat, sorte dirimendum sit. Asylà vero sunt loca, quorum, qui fugere et se recipere potest, criminali persecutioni eximitur 1).

Sunt adhuc alia delicta, quae excepta dici solent; sed minus recte. Huc pertinent delicta certis personis propria, veluti militaria, quae nobil. de Quistorp l. c. P. 2. §. 559. n. d. etiam ad, excepta refert, quod iam bene monuit Brehm, c. l. c. I.

Alii autem DD. in primis veteres m) sub nomine delictorum exceptorum omni delicta atrocia comprehendunt, in iisque judicem neglecto juris ordine procedere posse statuunt. Sed magna est differentia inter delicta excepta et non excepta, et inter delicta levia et atrocia. Quae distinctione autem aestimari potest partim secundum poenam a legibus statutam, partim secundum leges constitutas,

B 4

Hoc

1) *De quibus omnibus egregie exposuit vir clarissimus et inter Catholicos juris criminalis scriptores facile princeps Gall. Aloys. Klein-schrod in egregio suo libro: Systematische Entwicklung der Grund-begriffe und Grundwahrheiten des peinl. Rechts. §. 108 seq. ibi que allegatos vid. scriptores.*

m) *Origo hujus rei repertenda esse videtur a Iurisconsultis Italicis. Vid. Clasien Comment. in Conflit. crimin. Caroli V. Imp. pag. 23, et Anton. Matthaei de criminiis ad libr. 47 et 48. D. Comment. pag. mihi 56. id, quod bene observavits Erhard Handbuch des Churfäfch. peinl. Rechts P. I. §. 80.*

Hoc respectu delicta atrocia ea sunt, quae securitatem rei publicae magis adversantur, ideoque graviori poena coercenda sunt, quam alia. Enimvero legislatores in poenis definiendis principia haec genuina non semper secuti sunt: sed ex hypothesibus erroneis sive clericalibus sive pseudo politicis aliquando graviorem poenam et atrocius constituerunt supplicium, delictis rempublicam non tam graviter, quam alia laudentibus, quibus mitior poena statuta est. Longe aliter res sepe habet, si delicta secundum leges jam constitutas in simplicitate et atrocitate dividuntur. Est itaque falsa opinio, delicta atrocia ideo, quia atrocia sunt, excepta esse, et uti DD. ajunt, in iis cognoscendis et puniendis legis criminalis dispositionem judicem non oportere servare. Multo minus delicta excepta in hoc sensu statui possunt, post C. C. C. in primis Art. 83. juncto Art 8 n). Sed hanc sententiam olim contra rectam rationem et ipsas leges invaluisse, inter errores vero dudum profligatos referendum esse, recte observavit Meister l. c. §. 34 o).

§. 9.

Liceat mihi, in hacce paragrapho, quoad Leyseri exemplum a pluribus juris criminalis doctoribus, exceptorum intuitu delictorum, laudatum pauca adhuc adferre. Quod nempe exemplum, ut mihi quidem videtur, ad rem nostram plane non pertinet, quod V. C. Klein p) jam etiam optime

n) *Vid. Boehmer Medit. ad C. C. C. Art. eosdem.*

o) *In genere de hac re vid. Boehmer ad Caryzov. A. 102. Observ. 3.*

p) *L. C. §. 67.*

optime monuit. Nam Leyfer speciminis 573. verbis: perduellis indicta causa puniri posse, nihil aliud dicere voluit, quam ut ipsa quoque respublica interdum in causam moderaminis inculpatae tutela demitti possit. Nam contra ejusmodi homines civitatis superior, veluti contra patriae hostes agit; nec vi supremae potestatis solum judicialis, sed vi potius juris defensionis eos in fines ipsius constitutos repellit. Quodsi igitur exercitu adversus perduelles educto, plures eorum vulneraverit, occiderit, princeps non punit; sed ipsam rempublicam defendit. Qua de re in hoc casu non poena, sed poenae tantum quid simile locum habet, quod quidem eo in veram poenam transmutari potest, ut princeps victos captosque perduelles, praevia caussae cognitione, in poenam legibus intuitu criminis perduellionis sanctitam, vi judiciali condemet.

§. 10.

AN DELICTA EXCEPTA SINT POSSIBILIA?

Descendo nunc ad quaestionem gravissimam, utrum superior reipublicae delicta excepta statuere possit? Duplicem ea patitur explicationem, si nempe de principiis potestate talia delicta statuendi in genere vel in specie quaeras. Intuitu quaestio[n]is prioris ea ex juris naturae principiis omnino affirmanda est. Quin ipsa respublica, ejusque nomine princeps, qui civium iure omnium absolute exercet, privilegia ac dispensationes a legibus civitatis in genere concedere possit, si salus publica postulet, eaque dispositione tertii jus non laedatur, vix quis dubitabit. Qua vi autem hac ratione superior in quibusdam casibus cives a legis cuiusdam communis obligatio[n]e

tione vel plane vel ex parte liberare sive eximere potest, eadem vi quoque ipsos ad quasdam obligationes implendas severiorius legibus compellendi jus ipsi competere debet omnibusque utendi remediis, quae illis inserviunt. Si ergo lex communis nequaquam ad obligationes quasdam fortiores reddendas sufficiat, princeps omnimode eo jure gaudet, quo lege communi neglecta exceptionem, seu quod idem est, legem specialem constituit, qua finem modo laudatum facilius consequi potest. Delicta vero excepta, ut supra dixi, nihil aliud sunt, quam exceptio a lege communi, i. e. quorum intuitu quid singulare statuitur. Superior vero reipublicae leges singulares, sub restrictione modo expressa, statuere potest. Ergo idem et delicta excepta sine dubio ex juris naturae principiis genuinis recte constituit. Quae si applies ad Germaniam ejusque singulas civitates, de his intuitu delictorum exceptorum idem est affirmandum. Nam ipsum Germaniae imperatorem immediatorum Imperii subditorum ratione plena potestate criminali gaudere, hi non negabunt, qui leges expressas hac de re existentes noverunt, quarum exercitio cuius permulta Germaniae historia edit exempla, nec unquam quis contradixit. Sed et statibus Imperii Germanici plena competit potestas criminalis. Quamvis hi etenim antiquissimis temporibus jurisdictione tantum quasi criminali sub nomine Banni sanguinis ab Imperatoribus ipsis concessa gauderent; haec tamen jurisdictione postea in veram potestatem criminaliem transmutata, cuique statui Imperii mox ipso jure competit. Nam ipse Imperator claris verbis in electionis Capitulatione Art. 1. §. 8. promittit: „nicht zu gestatten, dass den Ständen in ihren Territorien, in ihre Landeshöheits- und Re-

Regierungsrechte, besonders — — in Criminalesachen vor- oder eingegriffen werde.“ Quas plena potestas criminalis nec constitutionis Caroli V. criminalis, qua legis Germaniae universalis, dispositione tollitur, dum clausula, quam salva-toriam vocant, huic annexa dilucidis verbis edicit: „doch wollen wir durch diese gnädige Erinnerung Churfürsten, Fürsten und Ständen an ihren alten wohlergebrachten rechtmässigen und billigen Gebräuchen nichts benommen haben.“ Ad mores vero majorum et usus iuste comparato jus quoque legum criminalium ferendarum pertinuit, quod e Constitutione Bambergensi et Brandenburgica cri-minali, jam ante Carolinam confectam, existente lucu-lentissime appareat. Praeterea vi usus antiqui Germaniae principibus jus adgratiandi mitigandique jam dudum com-petit, quod ad alios potestatis criminalis casus omnino ex-tendi poterat. Plena igitur, paucis ut dicam, criminalis potestas omni fine dubio Imperii statibus contingit. Caete-rum eadem potestate status Imperii excluso quovis alio ita gaudent, ne in re criminali quidem summa Imperii judicia possint appellari, quod jam R. I. de a. 1530. §. 95. ordoque judicij criminalis denovo constituit. Ex quibus omnibus per-facile colligitur, tam Germaniae Imperatorem quam status in suis territoriis eadem sub restrictione, de qua supra jam sermo fuit, delicta excepta statuere posse.

§. II.

Divisio igitur delictorum in excepta et non excepta vera quidem est, quia justum fundamentum habet; sed nullam praebet utilitatem. Nam uti semper differentia est

inter

inter regulas et exceptiones, ita quoque in legislatione; sed non in legislatione solum criminali, sed et civili. Ex quo sequitur, etiam hanc distinctionem inter delicta excepta et non excepta nullum alium usum praestare, quam differentia inter regulam et exceptionem q).

q) *Vid. Paalzow Compend. jur. Crim. Rom. Germ. forensis* §. 42. et
in primis Erhard Churfächf. peinl. Recht §. 80.

VIRO

V I R O

JUVENT PRAESTANTISSIMO, ORNATISSIMO

HENR. FRID. FERD. HAMPE,

AMICO SUO AESTUMATISSIMO,

S. P. D.

VALENTINUS REMMERT.

Prima hodie eaque publica exhibes diligentiae Tuae Academicæ rite collocatae illustria specimina, quae cum morum suavitate et cordis integritate feliciter juncta, laudes omnium, quotquot Te noverunt, et existimationem, et meam pæreprimis, jam pridem meruit, quibus Tibi adclamantibus et ego lubens adcessi, atque qualicunque meo moderamine, quod honesto a me desiderio expetiisti, deesse nolui, ita ut meum in Te amorem, meam laetitiam, meumque Tibi placendi studium non ore tantum; sed in scriptis quoque profiteri hodie possem. Intras modo, ut pares, mi Hampe charissime! Marchicorum Decus atque Corona! in sacra Themidos templa, seu potius intima sacrariorum sui penetralia Dea haec Tibi pandit, Tibi inquam, cuius tempora Musae et Gratiae jam dudum myrto dignum et lauro cingere gestiunt, Doctam, quae prostar, quamque proprio felicique Marte elaborasti, de delictis exceptis Dissertationem, amice mihi obtulisti, eo nonnisi ex fine, ut in publico de ea conflixi me Tibi adversarium,

quo-

quocum, ut saepius jam fecisti, publice atque Tui nonnisi in gloriam certares, habere posses, qua de re me vehementer laetari, amico facile credas velim. Age proin Commilitonum meorum egregie! Tuas in jurisprudentia criminali, quam Tibi prae ceteris filiam elegisti, profectus, studiorumque Tuorum primitias in medium hodie proferre, resque Tuas age feliciter, et sane Tuorum, qui adstant, quibusve notus es, Commilitonum aplausus et vota, felici peracto certamine, aures Tuas mulsebunt quam maxime, utpote dignus cum sis, cuius scientiarum omnisque veri bonique amor publice ab omnibus praediceretur, quos Tui ingenii dotes, morum suavitatis, atque Tui pectoris candor Marchicus non latent. Accipe igitur et mea vota, vota animi Tibi ad cineres usque devinctissimi! Vivas diu atque feliciter in parentis Tui, Viri antiquae certe fidel, gaudium, vivas in Matri Tuae suavissimae solatium, vivas in familiae Tuae honestissimae emolumentum et gloriam, vivas et mihi, o et praefiduum et dulce decus meum!

Fausto fidere redens in partiam, solida ornatus doctrina, ab omnibus amatus et desideratus, atque me in posterum Tuo amore, quo nihil mihi prius, nil antiquius est, atque jucundius, non dederis. Credas velim, meo in pectore memoriam amici, quallem Te Halis cognovi, nunquam fore interituram. Vale mihi que fave!

Dabam Halae Salicæ, die XXV. Martii, MDCCC.

VIRO

V I R O

JUVENI AESTIMATISSIMO

H. F. F. H A M P E,

AMICO SUO CARISSIMO USQUE AD CINERES
PIE COLENDO,

S. P. D.

C A R O L U S M A U R E R.

Quanta sim laetitia affectus, lecta Tua dissertatione, quam controversam juris criminalis materiam princeps fere omnium illustrare incipis, facilius est tibi existinare, quam mihi scribere. Semper et ex ephesis usque amicitiae vinculis obstrictus atque tum contubernalis academicus testis fui industriae Tuae rite collocatae, et dum sinceritate, hilaritate et sagacitate insignem maximi Te aestimavi, eo magis pro Tua in me observantia sumfisi, quod mihi partes adversarii in Tua publice ineunda disputatione tradidisti. Gratulor itaque de ritibus hodierno die solennibus Tibi celebrandis, quo almae Fridericianae commilitonum laudibus coronatus victoriam reportabis splendidissimam, gratulator parenti Tuo adamando ob specimen tale eruditio-

prae

IRO

praeclarae, gratulor vero et mihi, quod meritorum Tuorum et amicitiae nostraræ publicum licitum sit edere testimonium. Nunc denique omni desiderii moerore perfusus Deum optimum maximum etiam atque etiam precor, incolumem Te reddat patriæ Tuae, que certo magna Tibi praebeat Themidū beneficia, et servet animæ meæ dimidium. Vale faveque mihi.

Dabam Halae, MDCCC.

C O R R I G E N D A.

Pag. 3 lin. 11 *lege* tractasse.

- 5 — 8 — Commissionis.
- 7 — 3 — Clarissimus.
- 8 — 10 — Förmlichkeiten.
- ib. — 13 — Francofurti ad Viadrum,

Halle, Disc, 1795/1800



Sl.

vel 18

inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

EXAMEN
COMMUNIS DOCTRINAE

D E

DELICTIS EXCEPTIS.

DISSERTATIO JURIDICA,

QUAM

P R A E S I D E
V I R O

G R A V I S S I M O , C O N S U L T I S S I M O A T Q U E
C L A R I S S I M O

D. HENR. JO. OTTONE KOENIG,
P R O F . J U R . O R D I N A R . E T F A C U L T . J U R I D .
A S S E S S O R E ,

S T I P E N D I I C A U S S A

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

H E N R . F R I D . F E R D . H A M P E ,
P A L A E O - B R A N D E N B U R G E N S I S .

DIE VIII. CALEND. APRIL. MDCCC.

H A L A E ,

T Y P I S O R P H A N O T R O P H E I .